



CL. TIBERIVS Nero Imperator Romanorū tertius, succedēs Augusto, imperavit anno mūdi 3977. post Christum natum, an. 15. Hic principatum diu recusavit impudētissimo animo, nunc adhortantes amicos increpans, vt ignaros quanta belua esset imperium: nunc precātem Senatū, & procumbētem sibi ad genua, ambiguis responsis, & callida cunctatione suspendens. Tandem quasi coactus, & querēs miseram & onerosam sibi iniungi seruitutem, habenas rerum suscepit: nec tamen aliter quā vt depositurū se quandoq; spem faceret. Ad Orientē exercitum duxit: regnum Armeniae Tigrani restituit: signa quae Crasso ademerant Parthi, recepit. Comatam Galliam anno ferè rexit: Reticum, Vindelicum, Pāonicum ac Germanicum bellum gessit: Germanico bello 40000. dediticiorum traiecit in Galliam, iuxtaq; ripam Rheni sedibus assignatis collocavit: quas ob res ouās Romae antequam imperaret triumphavit. adulationes initio auersatus est: huius quoque vox illa est, *bonus pastor pecus tondet, non deuorat.* Ipse demum ingenti socordia & tyrānide imperium administravit: quosdam Reges per blandicias euocatos, non remisit. Luxuriae itaque ac cædibus vacans, Caligulae nepotis astu periit, anno ætatis 78. imperij 23. huius imperij anno 18. Seruator noster Iesus Christus à Iudæis cruci affixus est. Sueton. in Tiber. Hic Christianorum persecutoribus periculum interminatus est.

AGRIPPINA M. Agrippae filia, vxor fuit Tiberij Imperatoris, ex quo Drusum iuniorem peperit: hanc rursus grauidam dimittere coactus est, ac Iuliam Augusti vxorem filiam ducere, quāquam Agrippinam valde amaret Tiberius maritus, & Iuliae mores improbaret. Sueton. in Tiber.